

Im. 17.



5  
CONSILIUM

DE

USU HERBÆ ET POTUS

THEE.

ET DE

VIRTUTE ET USU POTIONIS GRANORUM

COFFEE.



4. 3

---

BEROLINI,  
Apud IOH. CHRISTOPH. PAPEN,  
Bibliopol. privileg.  
M. DCCIX.





DE USU HERBÆ ET POTUS NOBILISSIMÆ  
THEÆ.

I. *Quid Thea sit & quomodo mala à bona  
dignoscatur?*

**T**hea, prout ad nos affertur ex China, Japonia & aliis Indiæ locis folia sunt exsiccata & contorta in se, quæ vasis plumbeis vel stanneis probe occlusis asservantur, ne quid de virtute fugace expiret, atque ita perpetuò & singulari cura custodiri debent. Si enim aër accedit illicò Vires suas (sane enim blando cum paucò volatili constant) amittunt, aliòquì vasis suis inclusa Thea per plures annos incorrupta remanet.

Chinensibus dicitur Théè, Japonensibus ut & Indis Cha, Chia, Tcha, Tchia & Tzia, Tartaris ac Persis Tay vel Tzay, Europæis denique Thé & Thea, Thee. Vid. G. Hier. Vetchii Curat. Med. Dec. 4. Cur. 1. v. 165.


Quod autem bonæ notæ Thea sit, his indiciiis dignoscitur: 1. Si folia apparent ex coeruleo viridia: 2. Si folia digitis facile in pulverem conteruntur: 3. Si odorem instar fœni recentis in nares ingerunt: 4. Si saporis fuerint amaro-adstringentis. Sed 5. & præcipue ex colore subviridi, quo aquam ferventem affusam tingit, herbæ bonitas probatur. Est enim indubiè bona, quæ ita aquam tingit, sed quæ flavum addit vel rubrum colorem jam potiòges vires remittit.

In Anglia tres species Theæ in usu sunt. Quarum Prima BOHE dicitur, est folium parvum ad nigredinem vergens, quod aquam plerumque cui incoquitur brunneo aut rubente colore tingit. Secunda Thea viridis est, nonnullis Singlo dicta folio est oblongo & angusto, & aquam colore pallide viridi inficit. Tertia Imperialis Thea dicitur. Folio est amplo laxo; optima visui viridis est, in ore crispa & odore jucunda. Bohæ duntaxat Sanativa & Balsamica habetur, naturæ languentis restauratrix & adversus Phthisin & Tabem prophylactica, Samuel Dale Pharmacolog. Supplement, p. 298

II. *Quomodo præparatur Theæ potus, aut potius  
Sorbitio?*

Ad hoc primum sumenda aqua purissima fontana aut alia, hæc in vase æneo stanno  
in-





intus obducto eoque spatio unius aut sesquihoræ, tum in vas terreum, Porcellaneum Chinesè infunditur aliquid aquæ ut vas purgetur & calefiat, hinc effusa aqua parumper de Thea, i. e. circiter semi Drachm. aut integra injicitur, affusa protinus de cocta & adhuc dum fervente aqua, usque dum vas porcellaneum sit repletum, quod mox operculo suo claudendum, & ita paulisper detinendum. Sic enim aquæ colorem saporemque & vires foliorum Theæ eliciet & extrahet, quam coloratam aquam in aliud vasculum Porcellan: effundere oportet, quo ebibatur, aut, potius sorbendo deglutitur, idque tam calide imo fervide quam potest. Evacuato autem vasculo uno rursus nova colorataque aqua impletur, iterumque sorbetur. Interea vasi in quo folia sunt nova aqua cocta infunditur, rursusque virtus extrahitur, usque dum folia non amplius aquæ affusæ colorem saporemque largiantur. Quod si autem contingit, ut aqua de foliis in vasculum sorbitionis effusa nimis amara videatur, aliquid puræ coctæque aquæ addatur, ita enim temperari commodissime potest. Sed & licet tantillum etiam sacchari adjicere, aut frustulum ejus ore detinere. Melius tamen est, absque Saccharo aquam sorbere. In Persia aliquando in præparando paululum anisi aut fœniculi aliquotve Caryophyllos injici refert Ad. Olearius in suo Itinerar. Persico l. 5. c. 14

A nonnullis ad instar Tabaci attrahitur fumus ejus fistulis & tubulis, & eodem modo capitis & pectoris morbis frigidis, nec non Catarrhis & gravedini conducit. H. Tenche de Instrument. Pharma cv. ic. p. 1. c. 8 Imofumum Theæ per fistulam Nicotianæ loco haustam cerebrum roborare, tradunt Ad. Eruditor. Lipsi, Ann. 1688. p. 49.

### III. Quo tempore & qua quantitate sorbenda sit Thea?

De tempore hoc statuendum, nullum esse convenientius matutino, & quidem mox à somno, & quando hyems est, in lecto & accenso igne in camino aut fornace. Æstate autem non necesse est in lecto bibere. Jam quauaritas quo major eo melior, neque hic quicquam ab aquæ copia verendum, utpote quæ nec stomacho, nec ulli visceri aut corporis membro nocet, sed subito pertransiens partim sudore, partim urina è corpore exit, ordinarie tamen sumuntur de communibus illis vasculis, ratione subjecti, vascula 4. 6. 8. 10., & si quis omnes effectus ab hac sorbitione experiri velit, is debet. aut 3. horis à prandio præter illa 6. 8. aut 10. vascula matutina, adhuc dum 6. aut 8. vascula evacuare, atque id quidem singulis diebus.

### IV. Quas virtutes habeat?

Thea ad hunc modum quotidie sumta, multas & plane mirabiles vires possidet.

Nam

1. Sicim & æstum extingvit. Corn. Bontekoe Tract. Germ. von dem Menschlichen Leben part. 7
2. Famem & appetitum excitat.

A 2

3. Ar-



3. Ardores doloresque & calidas illas è stomacho ebullitiones egregie com-  
pescit. Ioh. Doleus Commenc. Literar. Epist. 2. Vit. Riedlin. Lin. Me-  
dic. Ann. 6. p 58

4. Ventriculum blandâ adstrictione roborat. C. Bontekoe *l. c.* Pituitoso au-  
tem & debili ventriculo laborantibus (largius pota) non conducit. Ephemer. N. C.  
Dec. 2. Ann. 4. Obs. 64 Nimia quoque ejus copia concoctionem impedit  
provocatque Podagram, Gerh. Feltmann de Dea podagra c. 29. §. 5. & c. 32  
§ 33.

5. Flatus discutit. (cum Spir. nitr. dulc. aut carminativ.) C. Bontekoe *l. c.*

6. Tormina alvi s. colicam sistit; henterias & diarrhoeas compefcit. C. Bon-  
tekoë *l. c.* Steph. Blancard. Prax. Med. c. 50. 53. & Tract. de Scorbut.  
c. 30 §. 12 Ioh Alb à Mandelslo in Itinerario suo l. I. c. 11. narrat se  
importuna diuturnaue diarrhoea illius potu Sanatum fuisse.

7. Lumbricos interficit, cum Elix. proprietatis vel Spir. ligni coryl. rectif.  
pota.

8. Scorbutum Germaniæ inclytum morbum, multorum morborum fecun-  
dam matrem oppugnat & vincit fortiter. St. Blancard. Tr. de Scorbut. c. 5  
§. 25. & c. 7. §. 14. C. Bontekoe, in Tract. suo de Herba Théé Belgico  
idiomate conscripto, asseverat, se in Scorbuto, Arthritide, Podagra & infinitis aliis  
affectibus, ex nimis acido & acri sanguine orinidis, præstantius remedium vix in-  
venisse, cujus virtutem se etiam in gravioribus scorbuticorum hæmorrhagiis cum  
optimo successu expertum esse, testatur. Vid. quoque ejus Tract von dem Mensch-  
lichen Leben *l. c.* Commendat infusum Théé Ioh. Iac. Waldschmidt cum rad.  
armorac. & cochlear. vel rura muraria, nasturt. hortensii aut trifolio fibrino factum,  
Oper Medic. Pract in 4to p. 185.

9. Acidus acresque humores s. Lympham acido - salsam in sanguine, alibi-  
que lenit, temperat, mitigat, atque ex corpore, per poros cutaneos, halituum spe-  
sic, expellit, vel per urinam educit.

10. Massam sanguinis impuram expurgat & mundat, fordes ubique abstergit  
& obstructions solvit, aperit vias oclusas & tonum viscerum confirmat.

11. Salia acria diluit, acidum viscidum temperat, omnem stagnationem san-  
guinis & succorum arcet, & circulationem promover. C. Bontekoe *l. c.* Ioh. Doleus  
Encycloped. Chir. rat. l. 5. c. 2. & 9.

12. Inflammationi conducit Id. Ibid.

13. Impuritates cutis & omnis generis maculas abstergit, mundificatque. Id.  
l. c. cap. 14. Confirmant Rythmi Germanici sequentes:

Flecken / Finnen / Eysterbeulen /  
Kupffer-Nasen und Gesicht /  
Da der Wein mit Macht ausbricht /  
Wilstu aus dem Grunde heilen /

Recipe

Ehlen Théé

Der mich vom Gesicht und Nasen /  
Solchen Unflat bald wegblasen.



14. Pustulas faciei & scabiem sanat. C. Bontekoe *l. c.* Vit. Riedlin, *Lit. Med. Ann. 1. p. 29.*
15. Maculas hepatis brevi delet. I. Dolæus *Commerc. Lit. Epist. 5.*
16. Catarrhis & omni de fluxioni (cum lign. sassafras) egregiè medetur. I. Dolæus *Commerc. Lit. Epist. 3. Vit. Riedlin, Lin. Med. Ann. 4. p. 585.*
- Simon Paulli de Abusu Tabac. & Théè p. 42. J. Jac. Waldschm. *l. c. p. 146*
- Fumus etiam naribus exceptus catarrhum solvit, & tinnitum aurium aufert.
17. Tussi prodest cum rad. liquiritiæ pota.
18. Asthmati confert. St. Blancard. *p. 1 Prax. Med. c. 3. Vit. Riedlin. L. M. Ann. 2. p. 444. Rosin. Lentil. Miscell. Med. Pract. p. 468. 640*
19. Pleuriticis & Peripnevmoniæ solamen affert.
20. Phtisicis conducit. J. Jac. Waldschm. *Oper. Med. Pract. p. 115*
- J. Dolæus *Commerc. Lit. Epist. 5. & 7 St. Blancard. Pr. Med. p. 1. c. 33*
- Præcipue cum Herba costæ, nummular, pulmonar. mac. , aut veronic, heder. terr. & pyrol. pota.
21. Vomiciæ pulmonari subvenit. St. Blancard. *l. c. p. 1. c. 28*
22. Screatum adjuvat.
23. Hæmoptysi s. Sputo cruento succurrit. J. Dolæus *l. c. Epist. 3. St. Blancard. Pr. M. p. 1. c. 27*
24. Fluxum hæmorrhoidum & pedis ulcera sanat. Vit. Riedl. *Lin. Med. Ann. 5 p. 744*
25. Oris foetorem emendat. C. Bontekoe *l. c.*
26. Sanguinem è gingivis fluentem sistit. Vit. Riedl. *L. M. Ann. 4 p. 1014*
27. Dentium dolori medetur. Id. *Ann. 4. p. 785*
28. Dentes mobiles & vacillantes firmat. C. Bontekoe *l. c.* Potus verò Théè fervidus dentibus est inimicus. J. J. Waldschm. *Disp. Med. 4. de Morb. Aulic. §. 20*
29. Renes expurgat, calculi dolores aufert & parvos calculos propellit tam blande ut nihil sit metuendum. Tandem calculi & cujusvis arenæ generationem ex toto evertit & impedit. Nic. Tulp. *Obs. Med. l. 4. c. 59. C. Bontekoe l. c. St. Blancard. Prax. Med. p. 1. c. 62 & p. 3. c. 15 it. Tract. de Scorbur. c. 26 Joh. Jac. Waldschm. l. c. p. 193. 273* Quare sit ut Chineses & Japonenses, Théè potu indulgentes, ferè nunquam doloribus nephriticis tententur. Martin. Martin. in *Atlant. Sinic. p. 107* & Joh. Nieuhof. in *Itin. Sin. c. 15* Sim. Paulli de *Abusu Tabac. & Théè p. 15 Lit. D.*
30. Mistum cruentum & stranguriam sanat, urinæque suppressioni succurrit. Meatus nephriticos s. renum mirifice aperit Athan. Kircher. in *Chin. illustr. part. 4. c. 6 p. 180. C. Bontekoe l. c. Joh. Dolæus Commerc. Lit. Ep. 4. St. Blancard. Prax. M. p. 1. c. 63, & de Arthrid. vaga c. 4. Hinc ex nimio ejus usu observarunt*



quidam Diabesen ortum. Vid. Aq̄ Erudit. Lips. Ann. 1682. p. 39 & Compend. Medico-Chymic. Herm. Nic. Grimm. l. 3. Obs. 36

31 In capitis dolore quocunque instar miraculi est, ita subito enim tollit, Nam caput ab omni vaporum fuligine liberat. Athan Kircher. v. vapores reprimi, H. Tencke de Instrum. Pharm. Galen. & Chymic. p. 1. Sect. I. c. 8 Spiritus faro- cientes & acredinem sanguinis, membranarum fibrillas vellicantes, corrigit. In Cephalgia & Cephalæa potenter convenit. Mich. Ettmüller. Oper. Med. Tom. 2. p. 801. I. Dolæus Encycloped. Med. l. 1. c. 1. Ioh. von Muralt Hippocr. Helvet. p. 902. Ioh. Muys Hemicraniam in seipso potu Thée curatam refert, in Podalir. Rediviv. p. 59. Idem restatur Alex. de Rhodes S. I. in descript. itiner. Sinenf. f. X. b. Fumus etiam s. vapor exceptus capitis dolores mitigat. R. Boyle Exerc. 5 de ur il. Phil. Exper. p. 314

32 Si ebrius quis hanc Theam sorbet, illico restituitur, & omnis crapula pe- rit, nec quicquam incommodi sentit, vel à pessimis vinis. Martin. Martin. in At- lant. Sinic. p. 106. C. Bontekoe. . . Sim. Paulli de Abus. Tabac. & Thée p. 14 Lic. c. Aq̄. Erud. Lips. Ann. 1688. p. 49. Præservat ab ebrietate. M. Ettmüll. . .

33 Vigiliis citra virium debilitatem & molestiam etiam ad tres dies noctes- que protrahit. Emüller. ib. & Alex. de Rhodes. . . N. Tulp. l. 4. Obs. 60 Sim. Paulli l. c. p. 16. 29. 42. Theod. Craan Traçt. de Homine c. 63. Conr. Viç Schneid. de Morb. cap. p. 428 Bernh. Albinus Disput. de H. Thée §. 7. A coena assumptum somnum ordinarie arceat. Al. de Rhodes. . . Nul- lum datur remedium, quod somnum æque arceat ac Thée. Ioh. Bernh. Gladbach. Prax. Med. p. 175. Adeo ut Viris literatis, nec non magna negotiorum mole dis- stentis ad vigiliis continuandas nobilius aptiusque remedium à natura non concessum videatur. Athan. Kircher. l. c.

34 In Epilepsia, Paralyfi, Apoplexia, Vertigine, Lethargo, aliisque morbis, ubi sanguis & succi circulantes existunt crassi & viscosi, quia eosdem maxime di- luit, & ob calorem aquæ per omnes ductus transit, eosque ad circulationem in- citat. Ioh. Dolæus Encycloped. Med. l. 1. c. 5. 10. 11 & in Commerc. Lit. Epist. 4. 5. Th. Willis de Anima Brutor. p. 2. c. 7. Iac. Wald- schmidt l. c. p. 134. 136. 292 St. Blancard. de Scorb. c. 13 § 10 & c. 16. § 8

35 Generi nervoso infusum Thée valde amicum. I. B. Gladbach c. 1. p. 175

36 Optimum in convulsionibus remedium. Ephem. N. C. Dec. 3. Ann. 1. Obs. 16. 18

37 Horrenda pellit insomnia. St. Blancard. de Scorb. c. 15 §. 7

38 Memoriam auditum, visum & sensus omnes confortat. Japonibus primarium est antidotum contra visus imbecillitatem & oculorum vitia. Wilhelm. ten. Rhyne Dissert. de Arthrit. p. 93 Visum acuit. Vic. Riedlin. L. M. Ann. 4. p. 589 In gutta serena conferre. St. Blancard. Prax. Med. p. 1. c. 16. Gravem auditum curat. Sim. Paul. l. c. p. 42

39 Laf-



- 39 Lassos solarur. V. Riedlin. Ann. 3. p. 4311
- 40 Melancholiam pellit & exhilarat cor, imo etiam valde bona est sorbitiois qui vitam sedentariam agere debent, eos enim praeservat ab omnibus malis quibus alias sunt obnoxii.
- 41 In affectu hypochondriaco summo cum frustu bibitur. V. Riedlin. L. M. Ann. 2 p. 638. An. 5 p. 746. 815. G. H. Velsch. Cur. prop. & Conf. Med. Dec. 4. Cur. 1. & Dec. 10 Conf. 3. Ephem. N. C. Dec. 2 Ann. 5. Obs. 113. Steph. Blancard. Prax. Med. p. 1. c. 6. Ioh. Iac. Waldschm. Oper. Med. p. 176. Hypochondriacis Antidorum & Panacea est. C. Bontekoe <sup>1. 11</sup>
- 42 Melancholicos juvat. I. B. Gladbach Pr. Med. p. 322 St. Blanc. Prax. M. p. 1 c. 14
- 43 Irae remedium. V. Riedlin. L. M. Ann. 2 p. 93
- 44 Palpitationem cordis aufert. I. Iac. Waldschm. Oper. Med. Pract. p. 158
- 45 Hepar calidum emendat, bilem temperat, cum Tinct. rosarum, bellid. aut papav. err. aut Spir. nitr. dulc.
- 46 Lienem induratum lenit, ejusque acidum fermentum mitigat, cum Tinct. mart. aper. tartarisat
- 47 Ictericis & Hydropicis prodest, cum Spir. sal. armon. aut Spir. aperit. Penot.
- 48 Hystericis succurrit, cum Tinct. succini vel castor. aut liquor. C. C. succin.
- 49 Virginibus chlorosi laborantibus auxiliatur, cum Tinct. mart. aperit, li. C. C. succin. Ess. croci, aut Spir. Sal. armon. lavendulat. vel caryo phyllat.
- 50 abortum praecavet. cum Tinct. corallior. C. Bontekoe <sup>1. 6</sup>
- 51 Partum provocat. V. Riedlin. L. M. Ann. 3. p. 702
- 52 Febres omnes sanat cujuscunque generis, ardentis, intermittentes, hecticam, et ipsam quoque quartanam. C. Bontekoe <sup>1. 6</sup> I. Iac. Waldschm. Oper. Med. Pract. p. 233 Act. Erudit. Lips. An. 1688. p. 49 Steph. Blancard. Pr. Med. p. 1. c. 34. & sequi. in peste quoque salutaris id. c. 41
- 53 In Variolis & Morbillis excellit, cum Ess. myrrhae vel Tinct. fl. aquilegiae
- 54 Arthritidem & Podagram utut gravem & inveteratam (cum Tinct. animonii aut Spir. Sal. armon.) funditus tollit, dolores aufert, tumores, ardores & dissipat, motumque restituit, nisi tophi fuerint. Quamquam tunc quoque dolores abigit, sed maxime praeservat ab arthritide, Vit. Riedlin. Lin. Med. Ann. 4 p. 264. Sim. Pauli l. c. p. 15 Lit. D. & 24 Lit. C. J. Iac. Waldschm. Oper. Med. Pract. p. 224 Ioh. Muys Podalir. Rediv. p. 89. Samuel Dale Pharmacolog. p. 427. St. Blancard. Prax. Med. c. 68. & Tract. de Podagra c. 1 §. 6 & 8 §. 5. it. de Arthritide Vaga c. 4. §. 33. & c. 5 §. 8. Nic. Heinf. Tract. Germ. non



von der schädlichen Milch-Cur in Scharbock / Hobagka / *ic. ed. à Joh. Schreyer* / pag. 82

55 Alvum adstrictam movet. V. Riedlin. ANN. 2 p. 515. & ANN. 3 p. 38  
C Bontekoe *ic. cum fol. Sennæ vel cum sale quodam digestivo*, I. B. Gladbach. Prax. Med. p. 187

56 Univerſum corpus & membra omnia confortat: pingvefacit, C. Bontekoe *ic. V. Riedlin. L. M. ANN. 4 p. 585* Veneris appetitum blandè promovet, id ANN. 1 p. 284 ciborum digestionem mirificè juvat, id ANN. 6 p. 732  
C Bontekoe *ic. Ian. Abrah. Gehem. Gesundheits-Regulen à Ioh. Andr. Schlegel.* cum Comment. ed. Aph. 12. & senectutem abarceat, vitam valetudinemque restituendo, conservandoque, ita ut ipsi Chineses credunt & perhibent, nihil esse hæc Herba ad vitam, in extremam senectutem, prorogandam, & ad impedienda quæcunque sanitatis incommoda conducibilius & salubrius. Nic. Tulp. Ob. M. l. 4 c. 59. Et Ioh. Nieuhof. in Itiner. Sin. p. 57. & p. 394. scribit: Sineses hunc porum tanti æstimare, quanti Alchymistæ suum Lapidem Philosophorum vel aurum potabile.

*V. Quibus modis operetur Thea?*

Thea non operatur sensibili operatione, nisi per sudores & urinam subinde alvum quoque sed rarè, sed blandè movet. Cæterum insensibili operatione multa operatur, diluit enim, lenit, temperat & eluit quodcumque in corpore est acre; deinde aperit, attenuat, & tamen blande adstringit fibras, quo roboret. Calefacit, ita tamen ut ii qui temperamento sunt calidioris nihil habeant, quod ve-reantur. Nam perinde convenit calidioribus natura & frigidioribus. Atque hæc breviter de Viribus ac usu Theæ, quæ si omnia ad amussim pertractanda forent, non consilium, sed integer aliquis liber conscribendus esset. Plura interim de hæc Herba scripserunt rerum Indicarum Scriptores & alii, quorum Catalogum vide apud

Jacob. Breynium Plantar. Exoticar. Cent. 1 c. 52

Steph. Blancard, Tract. Germ. die Belägerung und entsetzte Venus, p. m. 137 edit, Lips. 1689

Quibus adde

Ioh. Nicol. Pechlin. Dialog. de Potu Theæ Francofurt. edit. 1689

M. de Four Historiam Thee Lugduni impressam 1685

Tractatus nov. de Potu Caphæ; Chinesium Thee; & Chocolata, edit. Parisiis, 1685

Ioh. Helfr. Jungken Not. in Notas & Commentar. Ioh. Agricol. in Poppium, ed. Norimberg. 1686

Ioh. Iac. Waldschmidt Tract. Germanic. de Thee, ed. Francofurt. 1689

Ioh. Petr. Albrecht Tract. Germ. Klar-entdeckte Unschuld der Thee- und Coffee-Geträncke / edit. Bremen / 1696

Bern



Bernh. Albin. Dissertat. de Thée Francofurt. ad Oderam habit. 1684. Resp. Ioh. Melch. Genge.

Iohann. Thile, Theelogiam Medic. excus. Witteberg. 1687. Resp. Carol. Christian. Kirchmaier.

Eliæ Camerar. Dissertat. de Ufu & Abusu Potuum Thée & Coffé ed. Tubing. 1694.

Carol. Frideric. Luther / Disquisit. Med. An potus Thée exiccandi & emaciandi virtute polleat ? habit. Kiloni, 1702. Resp. Christ. Ulric. Schreiber.

*Virtus & Usus Potionis ex granis Coffée decoctæ.*

1. Grana hæc non nisi per Arabiæ deserta in humilibus nascuntur arbusculis, & ab incolis Bon. Ban. Bunn & Buncho vocantur ; tosta verò Coffé, Café, Coffi, Cooffé, Cahve, Caphé, Cahué, Caova, Chaova, Choava dicuntur. German. Coffee. Vid. G. Hieron. Velschii Exercit. de Vena Medinensi p. 323.

2. Nostrates ad Fabarum genus referunt, ob affinitatem, quam cum illis habent, hinc Fabas Arabicas, Fabas Coffée, Grana Bunn, Baccas Bunæ arboris, Coffee-Bonnen / nominant.

3 Viribus ferè conveniunt cum Herba Thée ; Multi tamen eam præferunt. Tenuium sunt partium, & gaudent sale quodam blando volatili oleo.

Potio ex iis facta, per totum ferè Turcarum Imperium bibitur, indeque ad nos transportatur.

5 Dimidium præter propter unius Pintæ assumitur, & calefactum quidem quantum tolerari potest ; neque enim pustulas inducit ; nec curem lacerat.

6 Turcarum cœnis & prandiis usus est hujus potionis perpetuus, (nam extra id tempus aquam plerumque bibunt) ad tollendam ciborum, qui ipsi fruges sunt maximam partem, cruditatem.

7 Potionis hujus Sapor aliquantulum amarus esse debet, alioquin sua non poleret virtute. Amaritudo hæc mitigatur Saccharo tantillo, quod ipsi etiam majorem jucunditatem inducit. Sunt qui caryophyllos, aut cinamomi tantillum, aut aliquot cardamomi grana immiscent. Qui palato indulgent aliquas Ambari grisei essentia guttas, aut parum Sacchari Ambaro perfusi, aut aquæ florum arantiorum semicochleare, vel aliud quid odorati admiscere solent. Vid. Adam. Olear. *Persische Reise-Beschreibung* l. 5. c. 17. *Thevenots Vollständige Reisebeschreibung* durch Europa, Asia und Africa. p. 1. l. 1. c. 24.

8 Refrigerat nihil, plus tamen alterando, quam quodvis aliud refrigerium.

9 Claudis stomachum ejusque dolores lenit, corroborat cor. confortat pulmones, juvat concoctionem, appetitum excitat, & nutritioni multum conducit, tam manè, quam quavis alia diei hora. Nimiæ fermenti aciditatem obtundit, & acidas cruditates quæ in primis viis interdum fluctuant resolvit & absorbet. Acidum quodvis & austerum egregiè compescit & corrigit. I. Jac. Waldschmidt l. c. p. 193.



- 10 Refocillat vitales Spiritus, cordique levamen est presentaneum,  
 11 Roborat viscera, purificat sanguinem, & scabiem sanat.  
 12 Nobile remedium est ad expellendos noxios humores, itemque adversus cephalalgiam, vertiginem & catarrhos ex cerebro in thoracem & stomachum delapsos, nec minus contra Tussim, Raucedinem, Asthma & Phthisicum affectum.  
 Io. Muys Cephalæam in seipso potu Caffee quotidie sumro, curatam refert, in Podalir. rediv. p. 59. Phthisi laborantibus cum levamine adhibetur (cum lacte)  
 I. Sponius in Physiologia Potus Café cum Notis D. Manget illustrat. p. 44 Carol. Rayger. in Schol. ad Observ. Med. 14. p. 28.  
 14 Cerebrum nimia humiditate scatens, siccatur. Th. Willis de Anim. Brut. c. 13.  
 15 In Affectibus soporosis prodest. id. l. c. p. 2. c. 4.  
 16 Ad Narcosin pellendam summè efficax. id. Pharm. rat. Sect. 7. cap. 3.  
 18 Solvit ebrietatem. I. Spon. l. c. p. 35. Joh. Helfric. Jungken Not. in Notas & Commentar. Agricol. in Popp. p. 304.  
 19 Aurium tinnitum tollit. Potus copiosus per aliquod tempus continuatus gravitatem auditus sanari potis est. I. Muys in Podalir. rediv. p. 104 I. Jac. Waldschm. Oper. Med. p. 146. Plurimi etiam, tollendis aurium doloribus, craterem, ad fumum excipiendum, auribus apponunt, indeque non minimo afficiuntur levamine, I. Spon. l. c. p. 51. Fumus s. Vapor ita exceptus furdus quoque subvenit, tinnitum aufert, vermes necat, & auditum roborat.  
 20 Medetur præprimis oculorum morbis halitum & vaporum suorum immisione. Fumus s. vapor oculis receptus favet iis qui doloribus oculorum tenentur. I. Spon. l. c. p. 51.  
 21 Hepatis, Lienis, Pancreaticæque obstructions à viscidis humoribus ortas feliciter refert, bilemque & succum pancreaticum temperat.  
 22 Lumbricorum generationem impedit. I. Spon. l. c. p. 38.  
 23 Hydropem quoque curat & Podagram, cum primis vero Scorbutum. Hinc Decoctum in Scorbuto in Anglia admodum usitatum. Mich. Ettmüller. Oper. Med. Tom. 2 p. 564. Acidum scorbuticum temperat, I. Muys Podalir. rediv. p. 85. St. Blancard. de Scorb. c. 5. § 25 Gv. Rolfinc. Consil. Med. l. 8. Consil. 8. In Podagra, doloroso hoc affectu, multum prodest. I. Muys l. c. p. 89. St. Blancard. de Podagra c. 8. § 5 & c. 5. § 8. it. de Arth. vaga c. 4. § 34. Val. And. Mollenbrocc. Tract. de Variis c. 13.  
 24 Renes calculo & arenis expurgat, & à calculo præservat. Vires in calculo pellendo majores sunt, quam Theæ. I. Dolæus Commerc. Lit. Epist. 9 In Affectibus nephriticis & hypochondriacis præ multis aliis confert, Eberh. Göckel. Consil. Med. Cent. 2. Conf. 10.



25 Tormina ventris sistit. Cholera atrocissimam convulsionibus valde dolorificis utriusque cruris stipatam, quam brevissime ac felicissime sanavit, solum potu. calido Coffæ copiose assumpto I. Muys. V. Podalir. rediv. p. 130.

26 In Diarrhœa & Dysenteria sistenda magnam præstat utilitatem. I. Spon. l. c. p. 42.

27 Febres curat intermittentes. Id. l. c. p. 48.

28 Uteri obstructiones aufert, atque solitas evacuationes procurat, utrumque mirè roborat. Hinc in familiari usu est apud omnes Ægyptias Arabasque mulieres, ut semper, dum fluunt menses, ipsorum vacuationi usu hujus decocti ferventis, purgato corpore, multis diebus utilissimus sit. Vid. Prosp. Alpin. de Plant. Ægypt. c. 16.

29 Virginibus chlorosi laborantibus succurrit.

30 Nec minus conducit Gravidis ad abortus cavendos.

31 Puerperis vires reparat, lochia promovet, et alvi tormina patientibus magno est subsidio.

32 Experientia etiam teste, plus quam quævis alia exsiccans potio conducit, tam juvenibus, quam grandioribus natu, fluxu novorum quorundam humorum, seu Regio morbo affectis.

33 Contra Melancholiam (Lienis affectum) Flatus item & alia, medicamentum est probatissimum.

34 Qui post cœnam in conclavi suo, seu alibi legere vel scribere aut aliud quid peragere desiderat, cui rei vigiliæ necessariae sunt, si biberit hujus potus quartam canthari partem, vigil erit & alacer in quartam usque horam & amplius. Vigiles facit. Thom. Willis de An. Brut. p. 2. c. 5. & Pharm. rat. Sect. 7. c. 3. Alacrem reddit hominem, somnum arceat, vigiliis absque debilitate intendit, adeoque spiritus animales peculiariter afficit. Mich. Ertmüller Op. r. Med. Tom. 1. p. 551. Peculiarem namque obtinet virtutem Anæstheticam. Paul. Ammann. Manuduct. ad Mat. Med. c. 7. §. 21.

35 Observatum quoque, Turcas, quibus hunc potum bibere perpetua est consuetudo, nec calculo, nec Podagra, nec Hydrope, neque Tabe unquam laborare, sed candida semper esse cute & nitidâ admodum.

36 Puellis & Virginibus ut & fœminis pulchritudini studentibus potum Coffæ commendat. I. Dollæus in Encycloped. Chir. rat. l. 5. c. 14.

37 Pulvis Coffæ tostæ nitorem dentium conciliat, si quis dentes cum illo quotidie fricat. I. Muys in Podalir. Rediv. p. 1. Magma diligenter adhibitum pristinam dentibus mundiciem restituit. I. Spon. l. c. c. 9. p. 33.



38 Verum non omnibus subiectis hic potus convenit. Nam qui graciles sunt & temperamenti biliiosi aut melancholici, sanguinem acrem & retorridum, cerebrum calidius atque spiritus animales nimis incitatos & irrequietos habent, iis interdicitur. Thom. Willis Pharm. rat. Sect. 7. c. 3. Ioh. Helfric. Iungken *l. c.* Creber quoque usus ad Macilentiam disponit Willis *l. c.* Senibus autem hic potus admodum proficiuus est. I. Jac. Waldschm. *l. c.* p. 188. Ejus quoque usus Vires nec enerves, nec infocundos reddit, ut quidam volunt. Quis enim avidius bibit Caffé ipsis Turcis, & quis istis Poligamis salacior? Carol. Rayger, in Schol. ad obs. Med. 65, p. 122.

## T A N T U M.





Ma 6069

ULB Halle 3  
 001 522 167  


Sb,


Liber  
 Bibliotheca Academicae Halensis  
 a  
 CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,  
 Med. Doct. & Practico  
 Berolinensi,  
 TESTAMENTO DONATUS.  
 1729.

VD 77

  
 Ma











# CONSILIUM

DE

USU HERBÆ ET POTUS

THEE.

ET DE

VIRTUTE ET USU POTIONIS GRANORUM

COFFEE.



3

BEROLINI,  
Apud IOH. CHRISTOPH. PAPEN,  
Bibliopol. privileg.  
M. DCCIIIX.